Das Grabmal des Verginius Rufus: Plinius, Episteln 2,1, 6,10 und 9,19

München, 7.12.2013 Claudia Klodt

I Verginius zwischen Nero und Galba

1 Tac.hist.1,8,2 (Haltung der Truppen in Obergermanien gegenüber Galba)

> Germanici exercitus, quod periculosissimum in tantis viribus, solliciti et irati, superbia recentis victoriae et metu tamquam alias partes fovissent. Tarde a Nerone desciverant, nec statim pro Galba Verginius. An imperare noluissent dubium; delatum ei a milite imperium conveniebat. ... Dux deerat abducto Verginio per simulationem amicitiae. Quem non remitti atque etiam reum esse tamquam suum crimen accipiebant.

2 Tac.hist.1,52,3; 3,62,2 (Fabius Valens)

> Valens infensus Galbae, tamquam detectam a se Verginii cunctationen ... ingrate tulisset.
> legatus legionis et fovit Verginium et infamavit.

3 Tac.hist.1,53,2-3 (Haltung der Rheinarmee im Konflikt Galba/Otho)

> Nec deerant in exercitu semina discordiae, quod et bello adversus Vindicem universus adfuerat, nec nisi occiso Nerone translatus in Galbam atque in eo ipso sacramento vexillis inferioris Germaniae praeventus erat ... et in Verginium favor cuicumque alii profuturus.

4 Vgl. Plut.Galba 10,1-3; Cass.Dio 36,27,1

Plut.Galba 10,1

> Οὐπγίνιος δε ῾Ροῦφος ἀμπίβολος ὢν ἔτι φροντίδα παρεῖχε.

5 Cass.Dio 63,14,2

> καὶ κατὰ τοῦ Νέρονος, ὡς εἰκάζετο, συνέθεντο πρὸς ἀλλήλους.

6 Iuv.8,221-222 (Orest, Muttermörder wie Nero, doch anders als Nero ...)

> Troica non scripsit. Quid enim Verginius armis
> debuit ulcisci magis aut cum Vindice Galba?

Vgl. Plut.Galba 6; 10; Otho 18; Cass.Dio 63,22-29

Absprache des Verginius mit Vindex; Ablehnung der mehrfach und vehement durch das Heer angetragenen Kaiserwürde mit Hinweis darauf, daß Senat und Volk von Rom den Kaiser zu wählen hätten.

II Weigerung des Verginius, die Kaiserwürde anzunehmen

1 Cass.Dio 63,20,6 (Zonar.11,14)

> Παρὰ δε δὴ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων ὄνομα μέγα, καὶ μεῖζον ἢ εἴπερ ὑπεδέδεκτο τὴν ἡγεμονίαν, ἐκτήσατο, ὅτι οὐκ ἠθέλησεν αὐτὴν λαβεῖν.

2 Tac.hist.1,8,2 (nach der Schlacht von Vesontio)

> An imperare noluissent dubium; delatum ei a milite imperium conveniebat.

3 Tac.hist.1,52 (Fabius Valens über die Eignung des Vitellius zum Kaiser)

> Merito dubitasse Verginium equestri familia, ignoto patre, imparem si recepisset imperium, tutum si recusasset.

4 Tac.hist.2,49,1; 2,51,1; vgl. Plut.Otho 18 (nach der Schlacht von Bedriacum)

> ... nuntiata consternatione ac licentia militum; namque abeuntibus exitium minitabantur, atrocissima in Verginium vi, quem clausa domo obsidebant. ... Ad Verginium versi, modo ut reciperet imperium, nunc ut legatione apud Caecinam ac Valentem fungeretur, minitantes orabant; Verginius per aversam domus partem furtim digressus irrumpentes frustratus est.

5 Tac.hist.2,68,4 (Gastmahl bei Vitellius)

> Interim Verginii servus forte obvius ut percussor Vitellii insimulatur; et ruebat ad convivium miles, mortem Verginii exposcens. Nec Vitellius quidem, quamquam ad omnes suspiciones pavidus, de innocentia eius dubitavit; aegre tamen cohibiti qui exitium consularis et quondam ducis sui flagitabant. Nec quemquam saepius quam Verginium omnis seditio infestavit; manebat admiratio viri et fama, sed oderant ut fastiditi.

III Der Epitaph des Verginius

1 Hic situs est Rufus, pulso qui Vindice quondam
imperium adseruit non sibi, sed patriae.

2 Plin.epist.5,3,5-6 (de versiculis)
An ego verear (neminem viventium, ne quam in speciem adulationis incidam, nominabo), sed ego verear, ne me non satis deceat quod decuit M.Tullium, C.Calvum, Asinium Pollionem, M.Messallam, Q.Hortensium, M.Brutum, L.Sullam, Q.Catulum, Q.Scaevolam, Servium Sulpicium, Varronem, Torquatum, immo Torquatos, C.Memmium, Lentulum Gaetulicum, Annaeum Senecam et proxime Verginium Rufum, et, si non sufficiunt exempla privata, divum Iulium, divum Augustum, divum Nervam, Tiberium Caesarem? Neronem enim transeo, quamvis sciam non corrumpi in deterius, quae aliquando etiam a malis, sed honesta manere, saepius a bonis fiunt.

3a Suet.Galba 9,2
Vindicis litterae hortantes, ut humano generi assertorem ducemque se accommodaret.

3b Plin.nat.hist.20,160
paulo ante Iulium Vindicem, adsertorem illum a Nerone libertatis

4 Cass.Dio 68,2,4 (Xiph.)
ἐφ᾽ οὗ τῷ μνήματι τελευτήσαντος ἐπεγράφη ὅτι νικήσας Οὐίνδικα τὸ κράτος οὐχ ἑαυτῷ περιποιήσατο ἀλλὰ τῇ πατρίδι.

IV H M H N S; Bestattungen *in hortis / in villa*: Besitzerwechsel

1a Petron.71,7
Ante omnia adici volo: ‚Hoc monumentum heredem non sequatur‘.

1b Mart.1,116,5-6
Si cupit hunc aliquis, moneo, ne speret agellum:
perpetuo dominis serviet iste suis.

1c CIL VI, 15593; CIL VI 10876; CIL VI 17992

2a Cic.Att.12,19,1
Sed ineunda nobis ratio est, quemadmodum in omni mutatione dominorum, quae innumerabiles fieri possunt in infinita posterita, si modo haec stabunt, illud quasi consecratum remanere possit.

2b Cic.Att. 12,36,1
commutationes dominorum reformido.

2c Mart.10,61,3-6
Hic festinata requiescit Erotion umbra,
crimine quam fati sexta peremit hiems.
Quisquis eris nostri post me regnator agelli,
manibus exiguis annua iusta dato:
sic lare perpetuo, sic turba sospite solus
flebilis in terra sit lapis iste tua.

V C.Iulius Frontinus

1 Plin.epist.4,8,3
Mihi vero illud etiam gratulatione dignum videtur, quod successi Iulio Frontino, principi viro, qui me nominationis die per hos continuos annos inter sacerdotes nominabat, tamquam in locum suum cooptaret; quod nunc eventus ita comprobavit, ut non fortuitum videretur.

2 Plin.epist.5,1,5
Adhibui an consilium duos, quos tunc civitas nostra spectatissimos habuit, Corellium et Frontinum. His circumdatus in cubiculo meo sedi.

3 Frontin.aqu.16
Tot aquarum tam multis necessariis molibus pyramidas videlicet otiosas conpares aut cetera inertia sed fama celebrata opera Graecorum!

Plin.epist.5,8,1-2

Mihi pulchrum in primis videtur non pati occidere, quibus aeternitas debeatur, aliorumque famam cum sua extendere. Me autem nihil aeque ac diuturnitatis amor et cupido sollicitat, res homine dignissima.

Plin.epist.2,1

C.PLINIUS ROMANO SUO S.

(1) Post aliquot annos insigne atque etiam memorabile populi Romani oculis spectaculum exhibuit publicum funus Vergini Rufi, maximi et clarissimi civis, perinde felicis.
(2) Triginta annis gloriae suae supervixit; legit scripta de se carmina, legit historias et posteritati suae interfuit. Perfunctus est tertio consulatu, ut summum fastigium privati hominis impleret, cum principis noluisset. (3) Caesares quibus suspectus atque etiam invisus virtutibus fuerat evasit, reliquit incolumem optimum atque amicissimum, tamquam ad hunc ipsum honorem publici funeris reservatus. (4) Annum tertium et octogensimum excessit in altissima tranquillitate, pari veneratione. Usus est firma valetudine, nisi quod solebant ei manus tremere, citra dolorem tamen. Aditus tantum mortis durior longiorque, sed hic ipse laudabilis. (5) Nam cum vocem praepararet acturus in consulatu principi gratias, liber quem forte acceperat grandiorem, et seni et stanti ipso pondere elapsus est. Hunc dum sequitur colligitque, per leve et lubricum pavimentum fallente vestigio cecidit coxamque fregit, quae parum apte collocata reluctante aetate male coiit. (6) Huius viri exsequiae magnum ornamentum principi magnum saeculo magnum etiam foro et rostris attulerunt. Laudatus est a consule Cornelio Tacito; nam hic supremus felicitati eius cumulus accessit, laudator eloquentissimus.
(7) Et ille quidem plenus annis abit, plenus honoribus, illis etiam quos recusavit: nobis tamen quaerendus ac desiderandus est ut exemplar aevi prioris, mihi vero praecipue, qui illum non solum publice quantum admirabar tantum diligebam; (8) primum quod utrique eadem regio, municipia finitima, agri etiam possessionesque coniunctae, praeterea quod ille mihi tutor relictus adfectum parentis exhibuit. Sic candidatum me suffragio ornavit; sic ad omnes honores meos ex secessibus accucurrit, cum iam pridem eiusmodi officiis renuntiasset; sic illo die quo sacerdotes solent nominare quos dignissimos sacerdotio iudicant, me semper nominabat. (9) Quin etiam in hac novissima valetudine, veritus ne forte inter quinqueviros crearetur, qui minuendis publicis sumptibus iudicio senatus constituebantur, cum illi tot amici senes consularesque superessent, me huius aetatis per quem excusaretur elegit, his quidem verbis: 'Etiam si filium haberem, tibi mandarem.'
(10) Quibus ex causis necesse est tamquam immaturam mortem eius in sinu tuo defleam, si tamen fas est aut flere aut omnino mortem vocare, qua tanti viri mortalitas magis finita quam vita est. (11) Vivit enim vivetque semper, atque etiam latius in memoria hominum et sermone versabitur, postquam ab oculis recessit.
(12) Volo tibi multa alia scribere, sed totus animus in hac una contemplatione defixus est. Verginium cogito, Verginium video, Verginium iam vanis imaginibus, recentibus tamen, audio alloquor teneo; cui fortasse cives aliquos virtutibus pares et habemus et habebimus, gloria neminem. Vale.

Plin.epist.6,10

C.PLINIUS ALBINO SUO S.

(1) Cum venissem in socrus meae villam Alsiensem, quae aliquamdiu Rufi Vergini fuit, ipse mihi locus optimi illius et maximi viri desiderium non sine dolore renovavit. Hunc enim colere secessum atque etiam senectutis suae nidulum vocare consueverat. (2) Quocumque me contulissem, illum animus, illum oculi requirebant. Libuit etiam monumentum eius videre, et vidisse paenituit. (3) Est enim adhuc imperfectus, nec difficultas operis in causa, modici ac potius exigui, sed inertia eius, cui cura mandata est. Subit indignatio cum miseratione, post decimum mortis annum reliquias neglectumque cinerem sine titulo, sine nomine iacere, cuius memoria orbem terrarum gloria pervagetur. (4) At ille mandaverat caveratque, ut divinum illud et immortale factum versibus inscriberetur:

Hic situs est Rufus, pulso qui Vindice quondam
imperium adseruit non sibi, sed patriae.

(5) Tam rara in amicitiis fides, tam parata oblivio mortuorum, ut ipsi nobis debeamus etiam conditoria exstruere omniaque heredum officia praesumere. (6) Nam cui non est verendum, quod videmus accidisse Verginio? Cuius iniuriam ut indigniorem, sic etiam notiorem ipsius claritas fecit. Vale.

Plin.epist.9,19

C. PLINIUS RUSONI SUO S.

(1) Significas legisse te in quadam epistula mea iussisse Verginium Rufum inscribi sepulcro suo:

Hic situs est Rufus, pulso qui Vindice quondam
imperium adseruit non sibi, sed patriae.

Reprehendis, quod iusserit, addis etiam melius rectiusque Frontinum, quod vetuerit omnino monumentum sibi fieri, meque ad extremum, quid de utroque sentiam, consulis.
(2) Utrumque dilexi, miratus sum magis, quem tu reprehendis, atque ita miratus, ut non putarem satis umquam posse laudari, cuius nunc mihi subeunda defensio est. (3) Omnes ego, qui magnum aliquid memorandumque fecerunt, non modo venia, verum etiam laude dignissimos iudico, si immortalitatem, quam meruere, sectantur victurique nominis famam supremis etiam titulis prorogare nituntur.
(4) Nec facile quemquam nisi Verginium invenio, cuius tanta in praedicando verecundia, quanta gloria ex facto. (5) Ipse sum testis, familiariter ab eo dilectus probatusque, semel omnino me audiente provectum, ut de rebus suis hoc unum referret, ita secum aliquando Cluvium locutum: „Scis, Vergini, quae historiae fides debeatur; proinde si quid in historiis meis legis aliter ac velis, rogo ignoscas". Ad hoc ille: „Tune ignoras, Cluvi, ideo me fecisse quod feci, ut esset liberum vobis scribere, quae libuisset?"
(6) Agedum, hunc ipsum Frontinum in hoc ipso, in quo tibi parcior videtur et pressior, comparemus. Vetuit exstrui monumentum, sed quibus verbis? „Impensa monumenti supervacua est; memoria nostri durabit, si vita meruimus." An restrictius arbitraris per orbem terrarum legendum dare duraturam memoriam suam, quam uno in loco duobus versiculis signare, quod feceris?
(7) Quamquam non habeo propositum illum reprehendendi, sed hunc tuendi; cuius quae potest apud te iustior esse defensio, quam ex collatione eius, quem praetulisti? (8) Meo quidem iudicio neuter culpandus, quorum uterque ad gloriam pari cupiditate, diverso itinere contendit, alter dum expetit debitos titulos, alter dum mavult videri contempsisse. Vale.